

66 Y 393.

66 J 343

Národní knihovna ČR
Historické fondy

66 J 343

Národní knihovna



1002297289

Hung. e.

1715.

FRANCISCI PRINCIPIS

RAKOCZY RESPONSUM

A D

SUPPLICATIONEM SEX COMI-
TATUUM, CONTRA RATIO-
NEM PATRUM SOCIETATIS JESU E
REGNO HUNGARIAE.

ANNO 1706.

Ex Museo
Hungarico



tblr 429.

1784.



Digitalized by Google

669343



Samosa Societas Jesu in regno Hungariae jam anno 1706 prorsus interitura erat, nisi hac quoque in patria, velut ubivis gentium, suos nacta fuisset fautores perinde, ac persecutores: dolendum quam maxime, quod utrosque Enthusiastas! Sex incliti Comitatus suppli-
cem Principi Francisco Rákóczio porrexere libellum, quo hujus Societatis exilium deprecabantur. Re-
sponsu[m] Principis e Codice manu-
scripto Bibliothecae Caesareae exara-
tum in quo P. Confessarii Kiss, Princi-
pis Aviam a morte ipsius adulatorio modo depraedantis facinus inter alia stratagemata jesuitica primas te-
niet, isthic in lucem editur. Abun-
dat hoc non mediocribus sane veri-
tatis criteriis, ut Autentiam ipsius nonnisi is in dubium revocaturus sit, cuius privatum commodum lu-

culentissimis ceteroquin argumentis,
quae nos hic loci haudquaquam de-
ficerent, contrariari non veretur.
Illud unum pro coronide in votis
habemus, ut exoticarum illarum pro-
et contra Jesuitas declamationum lo-
co nonnisi manifesta historica acta
et sacra paelo committerentur, que
posteritatem nostram suo de hac So-
cietate judicio non tantopere con-
turbarent, quantopere de Templariorum
interitus causa hodiedum in
ambiguo versamur.

Suppli-



Supplicationem Vestram , qua
Patruim Societatis JESU è
Regno hoccè Apostolico Ma-
riano exclusionem praepedire contenditis,
benignè accepimus , et Vestrum , qui pro
Religionis orthodoxae , et Scientiarum ,
Filiorumque Vestrorum Emolumento in
Vobis eminet , Christianum , Paternumque
fervorem omnimodè approbamus . Ve-
rum tamen Zelus iste , in Intentione qui-

dem Vesta verus, at in semetipso Spurius dicendus est; cum genuinus pro Ecclesia, et Scientiis conservandis ardor idem ipsissimus sit, qui contrarium illi, quod petitis, exigit, et qui ad extirpandam è Patria nostra Societatem urgere videtur illos, qui abstersis (quibus hi Patres in Scholis de Suae Societatis validitate tñneras Juvenum mentes imbuunt) nebulis, penetrarorie oculo DEI, et Patriae bonum prospicere norunt, et debent: Atquè ità haec (ex horum Patrum si non cerebro, Saltem Instinctu excocta haud dubiè) ex parte Vesta non ex alio, quam altioris Indaginis defectu ortavidentur. Unde reduximus, praesentibus eâ, quâ licuerit brevitate Vobis non tam praesentare quam altiori Ruminatio- ni Vestrae intimius concludenda relinque- re; Quemadmodum ea principia, ex quibus horum Patrum inter Nos conversatio- nem praetenditis, ipsissima sint, quae ad eorum exclusionem et Nos, et ante Nos alias dudum Respublicas, Regna, et statutus, eosque tales compulerunt, qui à Catholicae Religionis Scientiarum, Prolium-

que

quē suarum Amore , tam parūm , ac vos
alieni existere , ac etiamnum existunt.

Primo Ecclesiæ Catholicæ imminens
ex hujus Apostolicæ societatis Relegatio-
ne Detrimentum : secundo : Scientiarum ,
Scholarumque detrimentum , & exitium :
tertio: Filiorum vestrorum in illo ordine
degentium inculpatum exitium apprehen-
ditis.

Quoad primum itaque , si supra in-
stillata ab illis adolescentiæ vestræ in sui
favorem dictamina mentes elevare , &
altius (ut viros omni präoccupatione
majores decet) reflectere velitis , repe-
rietis Ecclesiam nostram tunc , quando fuit
optima hisce hominibus caruisse , eamque
primum tot clericorum industria , tum
subsecutis aliorum religiosorum ordinum
institutis fultam , tot sœculis antehac flo-
ruisse , & ubivis locorum claruisse ; ac
denique etiamnum in pluribus locis abs-
que affectabundæ hujus communitatis admi-
niculo clarore. Et hæc sancta Ecclesia
nostra (aduersus quam nec portæ inferi



prævalebunt) numquid in suo apud nos
 vigore perseverabit, etiam si uni particu-
 lari, & aliunde irrequieto ordini portas
 Patriæ nostræ occlusas teneamus? aliorum
 certe religiosorum ordinum resuscitabunda
 capacitas, et privatae ambitionis, et in-
 stabilitatis expers, expertaque modestia
 tot seculorum ædificationi congrua, atque
 quascunque demum defectus supplens hu-
 militas majorem æstimationem mereri vi-
 detur, quam lucrabunda hypocrisis, ac
 arrogantissima, omnesque, quascunque de-
 mun virtutes obliterans superbia istius-
 modi hominum, qui dum religionem po-
 litiae famulari jubentes, administrationem
 rerum sacrarum plurimum in exteriori
 apparatu ponunt, nescitur, an magis suam
 vanitatem, an cultum Numinis quaerant?
 et qui facri evangelii, et ecclesiae pro-
 pagationem nobis pro esca, sibi fortunas
 nostras pro Seculo ponunt, atque ita sacrae
 scripturae, fautorumque patrum textus,
 suae sive ambitioni, sive avaritiae faven-
 tes plenis buccis obtrudere, contravenien-
 tes vero, quantuncunque claros, et con-
 spicuos vel supprimere, vel artificiosa in-

ter



,

terpretatione pro libidine sua intorquere
gnari, majoris DEI gloriae (licet for-
tasse olim) nunc vero propriae avidio-
res coelestia ubivis in ore, temporalia in
animo religionem pro titulo , pro fine
utilitatem habent. Qui contra accatoli-
cos (quibus proh dolor ! patria nostra-
adhuc nimium infecta est) obdurato Ze-
lo , ne dicam passione abrepti et sui apud
Apostolicam sedem meriti aut ordinis pro-
prii — — — — — — — — —
potius , quam verbi divini amplificandi
desiderio ducti , animos Haereticorum bru-
tali impetu contra ecclesiam nostram irri-
tant magis , quam conciliant , lacescant
potius , quam convincunt ; et dum plebe-
jos subinde quosdam conversos ad publi-
cam fidei professionem , in suae assidui-
tatis jactantiam , coram vobis quasi in
triumphum producunt , interim **integra**
Regna , et acatholicorum Populos in ma-
jori aversione tenent , qui utpote magis
dissiti (gliscente sub sanctitatis specie vi-
cinarum blandiciarum et tristium Meta-
morphosium fascino uti vos , necdum ob-
caecati) imposturas horum hominum li-

et e longinquo , tamen clariss perspi-
 ciunt, ob eosque proh dolor ! Ecclesia
 nostra firmiore odio habetur. Atque ita
 turbidi in oivilis custodes , impertinentia
 sua oves deperditas repellunt potius ,
 quam compellunt , et in tot frusta , quot
 alienatos per eorum insolentiam animos
 ecclesiam discerpunt , ac dilacerant, dum
 eam cum violentia conantur extendere.
 Neque hoc animo comprehendimus , cur
 tanta aliorum , et antiquiorum religioso-
 rum sufficientia unius ordinis non ita qui-
 dem protrusi recessum supplere non pos-
 se vobis videatur : nisi forte quod in om-
 nibus singularitatem affectent , et inde hos
 solos pontifices non tam in spiritualibus ,
 quam super saeculares authorisare , in re-
 dundaturam scilicet in eos ipsos praepo-
 tentiae reprehensionem singulari voto et
 ambitione obstrictos sciatis , aut quod in
 hujus recognitionem hos solos sese alio-
 rum omnium ordinum praerogativis , pri-
 vilegiisque dotasse , oneribus vero et in-
 comodis exemisse videatis. Aut altiora
 vobis sapiat ille censurae et superioritatis
 impatiens p[re]a reliquo clero horum ho-
 minum

minum fastus ? qui (nam ut in pluribus ita et in hoc Italismum affectant) utpote pontifici immediate subjecti , episcopis e contra subesse gloriabunde detrectantes dedignantur : aut distinctum quid vobis redoleat illa eccl^m superba praeautio , qua ne quid aliis monachis sive commune , sive (dum scilicet aliis antiquioribus institutis praecedentiae praerogativam cedere tenerentur) quid inferius habere videantur , processiones publicas , quibus in ordine , ut reliqui assistere tene- rentur ad maiorem DEI gloriam , inter- mittunt ? aut cauti in vadis castimoniae , qua ad aucupandam integritatis famam p^rae aliis religiosis varia sua immateria- litate statui politico , de privato conscienc- tiae bono parum sollicito gloriantur , se singularius emolumentorum , quam reliqui per adulteratain politiae suae intempe- riem afferre ? aut forte intaminatam cor- poris sui sanitatem vobis appromittat iHa singularis eorum solertia , qua inferiora membra altioribus consiliis exclusa , tri- bus votis , et inferioribus muniis contenta ta tenere , talesque suae sive famae inte-

riori





riori forte praejudicaturos , sive praece-
 furos , interioribusque penetrantius medi-
 aturos e societate , quo lubet , dimittere
 norunt ; quatuor votorum autem , et inti-
 marum technarum jam particeps , non
 alio transgredi , quam ad solum Carthu-
 sianorum ordinem , utpote strictissimum ,
 ac perpetuo (quod in hoc instituto ob-
 servatur) silentio a secretorum revelatio-
 ne tutissimum arcendos . Aut forte con-
 Juges vestras externus in ecclesiis eorum
 nitor , et ad mundi muliebris imitationem
 exquisitus splendor alliciat ? Aut pueros
 vestros histronica illa ludorum theatalium
 puerilitas ultra modum delectet ? aut deni-
 que vos ipsos affectata illa oris , motuum-
 que corporis ad regularitatem , seu gressu-
 um , vultuumque gravitas , quasi ad iminen-
 tem extasim ordinata , seu in confessiona-
 libus , pulpitisque ad accurationis suae
 ostentationem studiofa severitas capiat , qua
 animis ad requirenda scilicet ab ipsis so-
 latia , loco amoris filialis servilem potius
 erga DEUM timorem veluti prutis incutere ,
 et ex svavi Christi jugo scrupulosam con-
 scientiis nostris Tyranidem in suae exacit-
 tudi-

tudinis jactantiam imponere fatagant : Ipsis interim , cum de re eorum agitur , ad omnem indulgentiam interpretabundis . Verbo sanctimonia fortassis illa , qua omnes actiones suas illi mire artifitiosi condere docti sunt , vobis nonnisi superficiem intuentibus persvadeat , cum ipsis solis ecclesiae nostrae integritatem ortam esse , cum ipsisque perituram . Non minus quidem inficias , hanc societatem primo per missarios suos regno huic tantillum in rebus fidei incrementi dedisse ; sed contra adver- timus etiam , a quo pedem intulerunt , eumque inibi largum fixerunt , in politicis ei- dem plurimum detrimenti attulisse . Unde nos ad hoc posterius universaliter , et quod hunc ordinem concernit , particulariter re- formandum , officii nostri ducentes , ejus in- tentionis (ut spes est) vobiscum erimus , ut praememoratos societatis patres , adulta jam apud nos religione pro sua praesti- ta majoribus nostris opera tanti ex tan- tis per tot annos bonis captati usus remu- neratione abunde contentos esse jubeamus , eosque ad praecavendum ulterius patriae praejudicium ad alias , et adhuc aethnicas ,

si



si volunt, nationes remittamus ubi eorum fervor evangelicus magis necessarius est: et ubi per barbaram paganorum sevitiam intra sphæram apostolicae suae activitatis, se continere coacti, loco invidiae, omnis venerationis suae honore se dignos reddere melius potuerunt, quam in hujusmodi regionibus, ubi jam maturata fide, pietate, et fideliam in excelsum urgente convenientia eo magis securi, quo minus suspecti, sub sacratissimis praetextibus nonnisi ad proprium emolumentum abuti, in more, et artificio habent.

Qoad secundum deplorandum profecto est, nos dum scientiis per hanc societatem imbui credimus, in profundis ignorantiae tenebris sepultos, adhuc hoc impedire, ne videamus, quod nihil sciamus. Vos ipsos testes expertos apello: quid aliud in disciplinis (vocant) humanioribus florentissimi sexenii iactura praetereundo morum corruptionem ex omni quisquiliarum colluvie completam adolescentia lucratur, quam solam unius linguae latinae notitiam scilicet, quae verbis insuper ridiculis, vel
bar-

barbarismis completa humi repit , vel
 longe petitis dictionum , implicitisque pe-
 riordorum labyrinthis sublimitatem affe-
 ctat , vel oracula imitando aenigmata
 vomitat , et emutuata phrasium altiora ob-
 scuritate admirationem aucupando , ple-
 rumque multum loquitur , nihil dicit.
 Praeterquam enim , quod ingentia in clas-
 sibus inferioribus Regularum volumina in
 torturam puerilis meinoriae cedant , illa
 insuper elegantia , in suis ita dictis decla-
 mationibus non tam juvenes (qui
 nec sciunt , quid blaterent) quam se ip-
 pos exercere , suas compositiones coram
 suis producere , et hujusmodi scenologiis
 delectare , et honorare in more gerunt.
 Unde adolescentes suo tanto temporis , et
 omni sodalitatis sacrificio non aliam nan-
 ciscuunt latinitatem , quam qua per hos
 in theatrum protracti , comicae poeseos
 simiastris coram imbecillioris judicii po-
 pulo se se pretiosas , aut parentes ob-
 variae complacentiae participationem sibi
 obstrictos reddere , aut magnatum animos
 scenica adulatio ne sibi devincire adnitun-
 tur. Tum praeterea in rhetorics horum
 ora-



oratorum ex hispidis locorum communium centonibus consarcinata , aut suis acuminibus , argumentulis , et verborum lusibus mirabunda dicacitas , puerilitate sua ad aures juvenum perturandas magis , quam cirrorum solida requirentium permovendos animos apta est. Hujusmodi autem lusunculis adolescentum industriae ita illuditur , ut hi postquam in superanda ejusmodi illiteratura diu desudarunt , ultimatim vel ad litteras vulgares , aut epistolam exarandam impertiti (quod pudor est) obrigescant. Accedit , quod veteris eloquentiae , aut poeseos scripta quae vetustas , et prinogenitura ab invidia horum saeculorum adhuc eximit) i nonnisi per frusta , et tantum pro forma nominis juventuti objiciant ; Erga recentiores vero , praesertim societatis scriptores (quasi vero haec suo ortu omnes scientiarum rivos in se abstraxerit) ea est horum hominum zelotypia , qua caeteros scriptores omnes in regno literario , quasi in zimeto suo natos auctores , a notitia nostra longe suppressos tenent ; dum ipsi interim doctrinam ab iisdem alie-

whenigenis decoctam alio (ut ipsi loquuntur) jasculo superfluo saortumque sub nonminibus recoctam , quasi sua nobis apponunt . Et quae ex ipso fonte clarissimis hauriremus , ii nobis Scholasterix suæ affusis Sillicidiis , temporis dispendium magis , quam fusiōris doctrinæ compendium tradant .

Theologiæ scholasticæ , et philosophiæ apud eos summa scientiarum nomina , que tamen nec in primitivæ , et miraculis initientis Ecclesiae seculis cognita , nec nostris temporibus seu prudentiae civili seu simplicitati Evangelicae idonea , cuiuscunque tandem sunt valoris , profecto ad statum ecclesiasticum unice occupandum directa sunt : eaque talia , quibus statui politico destinati filii vestri (quasi necessarie tantum ad ea audienda admissi) tot annis absque reali fructu , nec nisi in futuram oblivionem inscumbunt , absolutisque his cunabulis reperient nihil , præterquam (quo nihil est turpius) stoliditatem de se opinionem , qua se omnes scientiarum numeros iam absolvisse arbit-



trantur. Atque ita in tam opulentis pro universae patriae eruditione fundatis palestris, hi disciplinas nonnisi sibi solis convenientes tradunt, nec eruditos, nisi suos faciunt; si tamen ii eruditi dici possunt, qui chartis, horisque infinitis scriptitando consumptis, tandem subsistunt, veritatisque non tam elucidandæ, quam obscurandæ studiosi, per aifusas contradictiones exercitia cudentes, in tumiditate scientiae ponunt: scire de omnibus etiam evidentissimis disputare, et qui abstractionibus lunaticis ab omni rerum cognitione ipsi abstracti, peregrinis, nec nisi ad haereses propagandas aptis distinctionum terminis, in tenebris titubantes multa intelligendo tandem discunt, quod nihil sciant et intelligent; unde fit, ut dum sobrietatem sapere ambiunt, sapientissima insipientia ad ebrietatem usque temulenti, ad tam perniciofas, et ecclesiae, et statui politico sententias jam impegerint, et tam perversa dogmata in cathedris suis vomitarent, ut ea tanquam foetida doctrinae excrementa, tam ab aulis principum quam ab ipsa sede apostolica per excommunicationes

tiones expurgare saepius necesse fuerit.
 Neque hic modo nostrum est fusius pro
 disputatione discutere illas eorum de
 probabilitatibus , de reservatione mentali ,
 de aequivocandi , et pejerandi modalita-
 tibus , de tyrannicidarum licentia , de in-
 tentionum omnia rectificantium formalita-
 tibus , et sexcentas alias eorum de aliis
 commentis theses exercendas , quae si
 invehementur , omnem peccandi libitum in
 licitum , juramenta in figmentum , contrac-
 tus in contra - actus , constitutiones in ca-
 villationes abire faciendo , fidem universa
 mortalium pervertere , totumque commer-
 cium humanum everttere natae forent.
 Et quinquam hi magni theo - philosopha-
 sti omnem censuram censurantes potius ,
 quam patientes , reprobent ea , adhuc ta-
 men hodie inter suos , et sua , quasi ipsi
 DEO , liberrime imposituri , exercent , et
 hoc illuc in suis doctrinis insinuare , et
 cum scandalismo religionis , inro humani-
 tatis discrimine sapientiam , quasi quintam
 essentiam faltem agitare non intermittunt
 contra teperet inter eos jurisprudentiae stu-
 dium , quia nullis stipendiis ad illud ani-



mantur industria , qua jus nostrum tri-
 partitum (quod ab exteris rudis , indi-
 gestaque moles per columniam dicitur)
 ad pridem optatajn simetriam ordinari
 suspirat . Jacet medicina pridem exspira-
 tura , nisi ab extraneis pharmacopaeis
 quandoque emendicato focillamine susten-
 taretur , quas facultates si hi patres extra
 sphæram suam ponunt , certe extra sphæ-
 ram boni publici non foret , se tanti pro
 artibus patriae excolendis destinati reddi-
 tus , ab ipsis solis abripi soliti , hujusmo-
 di tam necessariis scientiis saltem pro
 parte relinquerentur . Aliae vero politio-
 res literaturae partes , ut geographia , di-
 versae mathefeos experientiae , arithmeti-
 ca , architectura (praesertim in militari-
 bus tam necessaria) geometrica , cosmo-
 logia , moralia , politia , ut complura alia
 corporalia nobilitatis exercitia praeteream-
 mus , in nostris gymanasiis sunt peregrina
 studiorum vocabula . Cum tamen ipsissi-
 ma sint , quibus florentissima regna , poli-
 tissimae respublibcae , et clarissimae alibi
 academiæ pro patriæ emolumento juvenc-
 tatis ingenia utilius , quam uibilitibus
 jesui-

jesuitarum exercere solent. Quot præterea scientiarum , vel ipsa nomina hi artium monopolæ, sive ex propria inficitia, pro nihilo reputant , sive ex invidia , & præeminendi titillamine longe a nostris confiniis remota tenent ? studiosa profecto versutia historiæ præfertim , & juris cujuscunque publici (ad quæ tamquam ad lapidem lydium usurpationes objici solitæ examinari possent) notitiam hi usurpatissimi & Pontifici adstrictissimi clerici regulares a nostra indigena natione omni modo alienatam volunt. Unde quæcunque ex hisce studiis, ut inter sola acatholico-rum gymnasia exulantibus, contra eorum status rationeim producuntur , illa omnia hi, licet æquissima, tamen ut mera hæreticorum dictamina vestræ imperitiæ abominabilia reddere in suam securitatem norunt. Quapropter , ut & patriæ indocta barbarie hallucinanti , & ex hac nonnisi solo privatæ applicationis adminiculo subinde eluctanti juventuti cultioribus Musis subveniatur , non alienum fore existimabis, si pro hisce in theoriæ somniis absorptis doctoribus aljos ad artes politioris

B 3. lite.



literaturæ tradendas aptiores ; si pro sci-
 entiis futilibus solidas , pro monasticis ,
 statui politico magis congruas , pro Pani-
 perdis proficuos , pro perniciofis ingenuos ,
 pro mutilibus necessarios magistros , &
 quidem minori tam patræ sumptu , quam
 morum corruptione substituere cogitemus ,
 fin autem theologiæ , & philosophiæ stu-
 dium longa consuetudine tantam vobis ne-
 cessitatem imposuit nunquam profecto hæc
 ipsa societas ita easdem disciplinas vobis ,
 ut a S. Dominici , & Francisci ordinum
 doctoribus emendicatas tenet traderet , &
 ex ipsis hisce scaturiginibus easdem vobis
 haurire reliquum esset . An non pro his-
 ce , & reliquis eorum studiis ejusdem for-
 tis magistros reperiemus , a quibus eadem
 artes tersissimæ exempli gratia (tacendo
 acatholicorum doctores) per totam Eu-
 ropam , ejusque universitates politissimis
 disciplinis florentissimis , ut Salisburgi ,
 Coloniæ , Lovany , passimque per Polo-
 niam , in Statu Veneto , ipsaque sorbona
 Parisiensi , & compluribus aliis Galliæ ,
 Hispaniæ locis hodie dum tradantur , &
 aliis temporibus ubivis traditæ fuerunt .

Et

Et ex ejusmodi institutoribus primos suos Fundatores eas didicisse hæc ipsa societas fateri cogitur , nisi eos cum instituti sui exordio simul scientias infusas habuisse , inter alia pia mendacia vobis persuadere desideret. Unde saltem convenientissimum videbitur utriusque generis scientias , sed ab aliis diversarum artium , ordinumve iisque levius utiliusque sustentandis professoribus tradendas instituere , quibus utiliter , & cursui prosequendo , & inventu vestrae noviter inductis politicis erudienda prospiciatur. Neque erga vestros , qui vos gratis instruxerunt , informatores in gratitudinis notam ex hinc incurtere vobis videamini , cum iidem per fundatos amplissimos , continuosque proventus , largiori mercede longe , quam illorum industria exegerit , plus quam abundanter soluti , nihil gratis de laboribus suis in vobis contulerint , sed quidquid gratis per hoc accepistis , id unice primis academiarum Fundatoribus , iisque exactissimis solutoribus in acceptis ferre debeatis.



Quod pro tertio paternam pro filiis vestris in eandem societatem adoptatis (frive ob bona fortunæ, sive animi) sollicitudinem vestram concernit, signum est vos latere, quod in hoc ferventius quam in ullo alio ordine, ingredientibus inculcari soleat illud S. Hieronymi: ut ealcatopatre & matre pergere & cum spiritu, ut vocant nationalitatis, oinueni erga patriam, & genitores affectum exuere pro præcepto, & gradu quasi perfectionis habere diseant. Quo prudenter puerum ad subsidia, quæ ibidem filiis vestris forsitan addixisti per indulgentiam vestram, si regredierentur, repetenda & requirenda speciose via in perpetuum præcluditur. Unde nunc, dum ipsi necessitate pressi ad nomen patriæ, vosque patres prius ipsis filiis exutos respiciunt, numquid conveniens esse videbitur, eos ambabus porare velle manibus, qui vos in iis, quæ sibi favorabilia, nobis vero odiosa sunt, nonnisi pedibus conculeaverint? Praterquam quod pudor sit, de privatis filiorum, civiliter insuper mortuorum comindis magis, quam pro publico patriæ emolumento,

Iumento angi, pro quo nos ipsi vitam & sanguinem sacrificamus.

Ex his ad vestras de non releganda societate oppositiones obiter deductis abunde eruendum erit, eorum hominum exclusionem patriæ nostræ non tantum non præjudicaturam, verum etiam & proficiam & necessariam fore. Cui accedit

Primo: illa hujus ordinis infatiabilis sub speciosissimis quibusque titulis bonorum temporalium rapsodia, qua tot, tantisque majorum vestrorum sanguine contra paganos comparatis territoriis: hi tranquilli a longe spectatores locupletati, redditus regios diminuunt: subditorum gravamina augent. Dum ipsi in corradenda undevis bona manus quident extendunt, humeros vero ab oneribus subtrahunt, tantaque proventuum superfluitate, omnis tributi exemptione, plerumque ita isti negotiose saginantur, ut portionum pendendarum, quæ ex eo a vobis non minores exiguntur, pondus eo influentius in vos, & filios vestros redundet. Deinde nullis cir-

cunscribi terminis patitur ea istius societatis in possessionibus accumulandis rabies, quæ viduas, pupilos, & vos ipsos sub agnina pelle circuit leo querens, quem devoret: omnibus omnia facti, ut omnium bona suæ communitati lucrifaciant: inhiabundi præfertim hæreditatum expilatores: quod vel nos ipsi (ne ad alia quotidiana, & infinita exempla digrediamur) experti meminiimus, dum pater Kiss Soc. JESU Aviæ nostræ piæ memoriarum exspirantis animam ad patres, cistam vero ditissime fartam ad suos transmisit, cui inscriptum erat: conciones Patris Kiss. Quæ & tanta erant eloquentia pollentes, ut omnia earum verba, velut Herculis Gallicani ad attrahendos auditores in catenas aureas, imo in gemmas, et lapides pretiosos miraculose transformata reperit vitricus noster, qui iis in itinere interceptis, cistasque reclusa ex stellionatu hujus scrupulosi confessarii ingentia pro bello prosequendo mihi deprehendit media. Et quoniam ab iis semel obtenta, nunquam ad statum politicum redditura sunt; ab iis tanquam ab infer-

inferno, ex quo nulla est redemptio absorbentur. Hæc insuper pietas, ne dicam superstitione fidelium obstetricante hypocrisi, de die in diem plures in eos largitiones parit, ut tanta territoria, ne reliquo quidem postliminii jure irrecuperabilius, quam ab ipso hoste, politico statui eripiantur, & accrescentibus ab hinc oneribus, viribus autem decrescentibus vestris, irreptiles sanguisugæ exinanitionem reipublicæ insensibiliter irrepturam evidenter minitentur. Nunc igitur vobis ipsis dijudicandum relinquimus, an si omnes quascunque deum sententiæ nostræ contrarias rationes, leges, merita, & privilegia eorum particularia in bilancem appendere velitis, levioris ea futura non sint ponderis, quam bonum reipublicæ, quod nobis ante omnia præcipit salus populi.

Secundo. Et quidem perniciösior videtur illa eorundem patrum particularis ratio status, qua statum in statu gerentes, non regno cui insunt, sed sibi ex regno student, nec principibus, nisi quantum e

re



re eorum, sese submittere gnari, hos, illos per soporiferas instillationes generoso strepitu exutos, ad optatam ipsis regibilitatem cicurare cicuratos tenero conscientia fræno, in quam volunt partem flectere, recalcitrantes vero populo sive directe, sive indirecte exosos reddere prodet, imo ad ipsa usque assassinia, prout in galliis factum est, persequi, nefandissima quæquam perduellionis attentata execrandis theologicæ suæ dictaminibus insuper sanctificare docti sunt, eo denique statum redigunt, ut hic juventute ex eorum supernatandi ambitu, per eorundem scholas a potioribus disciplinis abstracta, idoneorum obinde ministrorum penuria laborans, convulsiones, divulsionesque internas pariter, & externas patiatur. Nam & regnantium familiæ (prout in vicina Domo Austria-ca, a Ferdinandorum, queis inibi irrepererunt, temporibus videre est) in desolationem rediguntur. Dum has ipsi suis lethargicis sive imperitis, sive perfidis consiliis subvertere, acatholicorum contra principum, utpote ministris, principiisque sanioribus innixorum potentiam, per pululans

lulans exinde aliquando, & ecclesiæ, &
 statui præjudicium efflorescere, in nullam
 reflexionem ducunt, quippe qui nihil aliud
 quam suam præalentiam considerantes.
 Magnatum se legibus exinde non tantum
 exinere, sed & Magnatibus leges dictare
 ausi, creature suas in publica munera,
 & in suæ factioñis totidem fulcra pro sta-
 bilimento intrudere: dissidiis rempublicam
 irretire, & in turbido piscari pro subtili-
 tate, totum denique statum politicum pro
 ludibrio habent, dum eum vel externis
 adhærentiis in formidine, vel devotissimo
 artificio, in directione tenent. Hinc in
 specie ex archivō nostro, quod secretissi-
 mum haberī debeat, per institutam a Car-
 dinali suo Kollonics, ita dictam commis-
 sionein Neo-aquisticam, omnia instru-
 menta originalia sacrilega invasione intra-
 suos parietes ad S. Annam Viennæ abri-
 puisse, ac insuper Romæ, ad eripiendum
 nobis omne ulterioris informationis azy-
 jum, libros fundationum hungaricarum,
 ex Bibliotheca Vaticana abstraxisse, atque
 ita cum iisdem beneficia, jura, & statuta
 regni in suo sequestramine nunc retinere
 non



non verentur, nec erubescunt. In genere autem, parvis magnisque privatis negotiis non vocatos se ingerere domos, familiasque singulorum, sive confessionalium, sive scholiarum, sive conversationum privatiorum adminiculo, aut quibuscumque demum caniculis perspectas, totumqae reipublicæ statum solertissime exploratum habere, eunque s̄aþe hostibus correspondentiis vastissimis, secretissimisque, & semper sub Majori DEI Gloriæ prætextu proditum, exigentiæ suæ, ac factioni sacrificare, internis, externisque bellorum flaminis regna involvere, & dum ad eas sedandas omnes incolæ sanguinem effundere coguntur, ipsi innocentes illæsi, & indifferentes spectatores sese augere sueti sunt; nemini interius nisi sibi fideles, externis omnibus dediti, ambidextra duplicitate dexterrima pro opportunitate Utriquistæ: Ut DEUM solum in China, Cæfarem in Tyroli, & imperio, & Gallo-Bavaros adorent. Et ut extraneis exemplis, quæ volumina requirerent, prætermisis, ad nostra, quæ propria sunt, & tantum hodierna mentem reflectamus. Nostras

stras per suum e domo Professa viennensi
 emissarium capitaneum Lonquewall (quam
 quam primum renitente) obtentas litte-
 ras ad regem Galliæ transmittunt , & eas-
 dem quoque Viennæ Imperatori , respon-
 sumque manifestant , & præfatum Lonque-
 vallum suis commissionibus instructum
 expedient Versalliam , & eum Viennæ ad
 prodenda nostra consilia instrunnt ; & nos
 ipsos inde in carcerem detrudi , & post-
 modum iterum iidem carcere elabi faciunt.
 Et Neostadii capitaneo Lechmann nostræ
 evasionis instrumento , per suum (qui si-
 mul , ne moriturus alteri cuidam sacerdo-
 ti forte complices detegat præpediret)
 patrem Wolff , salvatorem nostrum , ad
 locum usque supplicii adhærente , de no-
 bis præstata contra fidem Cæsari debitami
 afflentia , pœnitentiam prædicant , & si-
 mul in Polonia tam nobis , quam domi-
 no comiti Beresényi pro fugis per Glu-
 gaviam ab Unguár cambiis , pecuniis af-
 fistunt , & nobis deinde bella gerentibus
 Tyrnaviæ spectacula , Claudipoli arcus
 triumphales , alibi alia votorum suorum
 testimonia præparant ; & simul in aula
 Vien-



Viennensi suam erga Cæsarem ja&tant fidelitatem , ob quam solam , ut de Cæsare benemeriti , a nobis exilium patientur . Atque ita hi Pseudopolitici syncretistæ dum una fidelia , & regem Galliæ , nosque & Imperatorem erga omnes obsequiosi devinciunt , omnes produnt , sibi solis fidi , filique , si optata (ut speramus) fortiamur ; præstiti obsequii a nobis potentioribus , Galliæque Rege amplificas recognitiones accepturos : si vero succumbemus , ex nostris a fisco cæsareo deglutiendis dominiis , in exhibitæ Domui Austriae fidelitatis præmium , portionem non minimam asportaturos : sicque dum intollerabili impudentia Principibus etiam propriis pro libidine sua illudunt , adhuc se omnibus per allegatam instituti sui impartialitatem abunde legitimatos existimant , quasi vero illi tantæ authoritatis forent , ut leges particulares in principis , & patriæ præjudicium iis invehere permisum sit , aut penes eos foret privati instituti compage Jus divinum , naturale , & gentium evertere , quod principi , aut cuivis patriæ fidelitatem iudispensabiliter obser-

obſervandam imposuit, aut faltem prohibet hostibus perfido adulandi pruritu obviam ire. Neque obſtat, quod illa particularium quoruſdam, & non reliquorum ſociorum, exorbitantem ſeculariſmum non cognoscentium, deteſtabunda intentio fit; quia hi primi S. Fundatoris ſui magis, quam compilatarum curſu temporis conſtitutionum menti conformes, omni modeſtia, & cordialitate venationi ſtudent: quāpiam horum exiguis admodum, nec niſi inferiorum inter eos numerus eſt: reliqui autem, qui totius machinæ gubernacula tenent, ejusmodi bonis viris non ali-er, quam instrumentis paſſivis utuntur ad ſocietatis ſuæ in his ſolis veluti reliquiis adhuc relucentem ſanctimoniam populo ostentandam: ut dum in hanc partem oculos noſtrós abripiunt, nos eo minus in reliquorum quater votatorum Rabinorum machinationes politicas oculos refleſta- mus, & ſic non tantum noſ ſeculares, quos alioquin pro Idiotis, ſed una & ſuos, quos adhuc diuifionis obnoxios habent verutiffima captivatione fallunt. Dum ſci- ficit hoſ ad noſtras mentes ſua qualicun-

C

que

que religiositate captivandas instrumenta-
 liter adhibent, hosce ipsos vero ad suum
 proprium intellectum captivandum cæca
 obedientia imbuunt, ut sicut equi, & mu-
 li ab omni reflexione altiori præscinden-
 tes, qui in hoc apicem perfectionis consi-
 stere persuasi, cæca obsequiositate in man-
 data qualiacunque superiorum jurant, quo-
 rum tamen finis ab immediate horum
 mancipiorum intentione plerumque longe
 diversus, nec tamen an malus, an bonus,
 ab hisce captivitatis intellectibus exami-
 nadus est: dum ultimatus interim totius,
 societatis finis neinini juxta constitutiones
 præterquam soli Præposito Generali cog-
 nitus esse debeat. Qualis vero ille sit,
 & an ad sibi substernendum, aut bæredi-
 tarie usurpandum Papatum; an ad Princi-
 pes sæculares inter se committendi arbi-
 trium, ad ecclesiæ, & statuum sibi subjic-
 tienda facta collineet? id perscrutari nec
 otii nostri, neque negotii esse judicamus.
 Accedit his omnibus, quod DEI, & ec-
 clesiæ causam cum sua societate communem
 faciendo, teneras conscientias impertinen-
 tissima impostura in reverentia constrictas

tenere

tenere pro lege fundamentali habeant.
 unde perspicatores, & teipubblicæ, quam
 suæ communitatis amantiores contra vel;
 missitare abstinent, talesque quasi DEI
 & religionis oblitos palam odiosos effice-
 re, pro calumniatoribus archi-hæreticis
 proclaimare, imo concitata omni factionum,
 suarum adhærentia, & irreconciliabili vin-
 dicta, præsertim personali rancore, quo-
 quo modo clandestinis foveis in præceps
 agere non desistunt. Fautores suos ultra
 sydera destinatos extollunt; ac contra ad-
 versarios a DEO & fide infra baratum
 reprobatos esse persuadentes; ipsique præ-
 sertim juniores assurerunt, quasi ipsi judicia
 DEI ex abyssو, velut ex eorundem fac-
 co & penula protracta juxta conscientiam
 suam disponere, prædestinationes divinas
 per acceptant (ut barbarie loquamur)
 chartabiancam pro sua sententia, & emolu-
 mento dirigere, & commercia pro sua
 utilitate, cum gratiis, benedictionibusque
 tractare concessum fit. Hinc tanta fero-
 cia omnem naturalitatem aspernantes, &
 unumquemque cum ipsis colligere, vel
 dispergere prætendentes, in omnes offen-



dunt, ut singulos vestrum, non admissa, suos credant vel amicos, vel imimicos. Si amicus quis sit: ille prospera gaudeat fortuna, tum hujus felicitatem suis consiliis, aut precibus, & divinæ in ipsum propter ipsos benedictioni adscribunt: si sinistra fortuna præmatur, DEI in illum amoris allegant indicium, qui filios, quos amat, castigat: & qui illos hic urit, & fecat, quibus ut suæ societatis fautoribus in æternum parcere decrevit. Si vero inimicum quem reputant, isque fruatur prosperitate, tum in certo dilemate hunc a DEO cœlum in vita obtinere ajunt, quamvis ob perversam in eorum scilicet materia, mentem in altera eo acerbias puniendum decrevit. Sin adversitate laboret, manifesta maledictionis ostentant specimina, quibus malitnuim ejusdem contra eorum societatem animum sydera ulceriscantur. Hic deum flexibili in omnem partem navigio portum obtenturi, acceptando pro suo cursu quoscunque etiam contrarios ventos, sibi vela trahere, & filis parcarum nere fese posse arbitrantur; & sæcularibus aliis nimium credulis,

aliis

aliis ob sua negotia ad horum hominum articia observanda non attentis , aliis sponte dissimulantibus , aliis rupta dissimulatione frustra obnitentibus , aliis per diversas ambages , si non ad eorum partes saltem conniventia pertractis , denique ultra tanquam ad majorem adhuc DEI gloriam omni conatu concurrentibus aliis , hi patres in eam argutiam quam impenetrabilem , & in eam potentiam quam inexpugnabilem putant , erecti sunt , & hodie se erectos vident . Nunc tuta jam errandi licentia tumidi , omnes actiones suas juxta primam mentis operationem plerumque non acceptato altero conceptus impetu prosequuntur magis , quam ratione , obstinatione tuentur , non prudentia & Securitate in arrogantiam versa , quascunque saniorum oblocutiones cachinis , tanquam latratus canum , & altissimo supercilio explodunt ; & dum plurimis exosi sunt , omnes rident . Neque hic nobis spes vana forsitan blandiatur , quasi vero admonitionibus sive privatis , sive publicis ad moderatoria consilia forent perducendi , cum tanta sit in his hominibus non



modo præpotentia sua fiducia , verum etiam amoris proprii , & estimationis præoccupatio , tamenque stolida de semetipuis præsumptio , ut luxuriante pseudo-prudentia inflati , ipsaque superbia , tamquam angelico vitio luxuriantes super omneum corrigibilitatem positi sint , seque infallibilis credant ; nec pati censuras , sed exercere datum sibi velint : unde immensæ audaciae esse , eorum acta vel examinare audere , quæ cæca veneratione nos nonnisi adorare debere docent ; Errores insuper nostros coram ipsis exculpare nostri obsequi , eorum indagare , temeritas esse , de rectitudine operum nostrorum pronunciarre eorum officium , nobis de ipsisorum dubitare sacrilegium fore existimant , ut quæ in iis resident , per qualitates occultas eo ipso virtutes evadant , aut saltem evasisse credendum sit nobis potius , quam ipsis vitiosos esse . Et hæc est , quam non tantum fortunis , ac prolibus , sed & conscientiis , animisque nostris hæc societas tyrannidem injicit , ut Monarchiam universalem in quovis Monarcha tam odiosum , hos absque invidia , imo cum con-

cor-

currentia nostra , non tam affectare , quam exercere videamus , atque in dubio sit , an Dominus Austriacæ , an potius hujus societatis eo intolerabilius , quo latius jugum majori a nobis nisu executiendum videri possit . Hæc itidem vellemus (sicut hi patres pro universali defensionis scuto mox ubique opponere parati sunt) a vobis , credi quasi vero ad hæc consilia ingrati privata quadam passione magis , quam boni publici ratione ducti simus ; Cum nullus particularis affectus , aut passio in illo animo locum fixerit , in quo illorum cum hoste collusionibus , aliisque præjudiciis ex una parte præstitis nobis servitiis ex altera in æquilibrio compertis , post longam primam inter justam vindictam , & gratitudinem luctam mutua parium virium collisione , tandem utraque humi ita prostrata jacet , ut illi portioni , quæ nobis in obsequiuin ab illis facta distributione contigit , ultionein nostram christiane accomodantes & sacrificantes ingratitudinis vicissim in illos nos reos eo minus arbitremur , quo minus proditionem amare & magis proditores odiisse usitatum est :

C 4

illos



illos autem assistentia sua non in nostrum sed in suum proprium amorem nobis si-
tasle compertum est. Verum cum vestris nihilominus precibus, quantum citra boni
publici, & vestrum proprium præjudi-
cium licet connivere, maxime in optatis
habeamus, ad intentionem supplicationis
vestræ, alteriori præfatæ totius societatis
in nostra patria commemorationi assentiri,
ab omni (ut diximus) privata animosi-
tate alieni lubenter condescendemus, mo-
do iidem patres omnem lapidem offendio-
nis, quod unice nobis curæ est, remove-
re serio appromittant. Et

Primo: bonis omnibus immobilibus se
abdicent, ex ærario publico personatensis
seconduum clericorum suorum a singulis
comitatibus definiendum numerum dein-
ceps alendi, & annuatim exsolvendi: un-
de & suæ, qua ante certaine votorum emis-
sionem publice domatim mendicare sue-
verunt, impudentissimæ sycophantiae re-
nuncient; cum ea per opprobrium, quo
proventus suos afficiunt tantum charitati
incolarum injuriose illudant, dum isti fac-

co-

so-geruli risum nonnisi excutiunt , quem ipsi in collegia sua reduces tenere non possunt.

Secundo scholis academicis , gymnasiiisque , ut totidem ex filiis vestris , de constitutione vestra inquisitionum palestris excedant : utpote in quibus deinceps necessaria , & aptiora reipublicæ studia nec cum tanta juventutis , & temporis aut impensarum jactura , morumque perversitate introducenda erunt.

Tertio : censuram librorum Typis mandandorum , prætextuata fideli , morumque cura usurpatam , deinceps sibi non arrogent , utpote , ad alios , præterquam suæ farinæ scriptores dijudicandos incapaces : cum insuper péritissimæ pennæ sæpe manum a tabula abstinere , quam despotico ejusmodi hominum arbitrio se subjecere malint , quin nobilissimos alieni ingenii (quamquam talia extra se dari authumant) partus nonnisi secundum invidiosæ passionis , aut couenientiæ privatæ , aut suæ (ut corrupte loquiamur) pedanteræ regulam examinare regulati sint.



Quarto : a confessionibus , nisi forte in
viciis , & pagis excipiendi abstineant ,
quibus non ad privatorum tantum , sed &
principum animos perscrutandos , iisque
pro suo , complicum arbitrio in patriæ
sæpe discrimen regendis : ne dicam pro-
dendis abutuntur . Præterquam quod pre-
suis casuum , intentionum , aut emolumen-
torum differentiis sacramenti confessionis
sigillum , & custodiendi , & perfringendi
certas modalitates , & paradoxas dispen-
sationes norint a sua forte , quod vocant
rationes conscientiæ emutuatas.

Quinto : suos , ut vocant , patres con-
versatores , aut potius exploratores domi
contineant , nec domatim , quasi inspecto-
res familiarum , aut morum reformatores
vagari patientur , cum morum publico-
rum cura , solius magistratus munus sit .
quod privatorum qualemque hominum
genus sibi non audet arrogare .

Sexto : omnibus recommendationibus
supercedeant , de creaturis suis ad officia
promovendis , tales autem ab iis propo-
siti , tamquam periculosisimæ factionis
membra , eo ipso pro inhabilibus reputentur .

Sep-

Septimo : sua patrum conscriptorum consulta , inter secretos suos parietes statis temporibus agitari solita abjurent , quibus aulas principum , & magnatum genios , ipsaque tribunalia quasi ad tribunal citare , juxta convenientiam suam trutinare , & consilia de statu reipublicæ suo statui accomodando cedere sueti sunt : dum ejusmodi cydopedia supereminens dominium , & Majestatis præjudicium sapiunt , religiositati insuper , & modestiæ subditorum , nec non ipsis primis eorum regulis info lentissime contrariantur.

Octavo : Ea omnia , quæ alii religiosi pro publico emolumento exercent , his solis intermittere non liceat , veluti v. gr. ut nemini fidelium petenti cryptas in ecclesiis pro sepultura occludere audeant , aut persoluta singulorum mercede , missas celebrare non detrectent , nec loca sacra a publico pro publico iis concessa , in suos seu suorum fautorum usus solas servare , & publico denegare audeant , ut tantum pro suis sociis , seu benefactoribus sacerdotes facti esse videantur.

No-

Nono : epistolas cujuscunque genetis non aliis, quam publicis tabellariis, nec nullis scenographicis characteribus suffultas, easque non prius, quam a commissario per magistratum cuiuslibet denominando revisas in aliena regna transmittant, ut omnis non necessariæ cum exteris, & sèpè regno præjudicaturæ correspondentiæ suspicio evitetur.

Decimo : Demum quod patriotæ acatholici, ut plurimum urgent, voto suo quarto solenniter renuncient, quo obedientiam summo pontifici, & in extirpationem hæresum jurant : præterquam enim, quod hujus voti primum membrum attinet, cum voluntas S. Patris cum voluntate DEI in omnibus una, nec ullo separato voto distinguenda, & absque hoc ipso voto tantæ authoritatis sit, ut ei absque prærequisita notificatione, unusquisque religiosorum præstare obedientiam teneatur, hoc quartum votum (quibuscumque demum distinctiunculis anathematizandum & offerendum) mere superfluum, nec nisi sedi apostolicæ adulandi, vel cum hujus potentia se arctius colligandi, vel præ aliis

aliis religiosis sese distinguendi particula-
 ri studio inventum , & ex adverso ad
 suspicionem excitandam tantum idoneum
 videtur. Nunc tamen hac nostra non tan-
 topere examinare , quam animos nostros
 ad id reflectere interest , quod nimur
 contra omnem rationem status vergat , in
 regno tolerare , & insuper alere indige-
 nas extero cuidam eminentissimo principi
 particulari solennique voto , ac juramento
 obstrictos , & vi hujus erupturam quon-
 dam (quod superi avertant) inter ipsos
 gentem talim , quam Regnum (nec defi-
 cientibus exemplis) adversus ipsam rem
 publicam foveret , & quæ eadem in ip-
 so gremio discerpéret. Quod autem ad
 alterum hujus voti membrum , id est ex-
 stirpationem hæreticorum dicendum per-
 nit , tale votum , quod quieti , & concor-
 diæ publicæ , ubi ratio Status diversas re-
 ligiones tolerare imperturbatas pro lege
 statuit , e diametro oppositum , & cum
 tranquillitate , ac statui reipublicæ nostræ ,
 an qua amor patrioticus non mutuam ex-
 stirpationem (non obstante ultra religio-
 sum diversitate) sed fraternali unionem ,

&

& tolerantiam constituit , incompatibile esse incommodo est. Unde si equitum melitenium , qui etiam paetis a christianitate cum Turcis inducis , perpetuo tam en contra eos bello obstringuntur. Exemplum hi patres forte allegarent , tum & ipsos illorum exemplo in separatam quamdam insulam , & a continente avulsam recedere , & sedem ibidem figere demandamus , unde & ipsi contra haereticos suas pro zelo , & voto , sine ulteriori alteri , cui insunt , statui turbas adsciscendi periculo , excursiones exercere libere queant.

Ex parte vero nostra iam irremissibilis , & nulla temporis vetustate debilitanda magistratum vigilantia praefataam communitatem ad omnes , & singulos memoratos articulos religiosissima exactitudine observandos , ita adstringat , ut Sacrosancta semper bocerum inflexibilitate ii sub poena totalis ex abrupto relegationis , ab omni etiam minima , sub quocunque licet sacratissimo praetextu , colore , fuco aut titulo , sive dispensatione , sive relaxatione , vel tentanda tantum vel iusinuanda prohibeantur :

cum

cum idem sit hujus Societatis , qui terre-
 belli genius , quæ sicuti exiguo apice
 tantum ingressum vel tantillum reperit ,
 ac invenerit , mox ulteriore semper , &
 ulteriore subtrusione ampliores suæ vesu-
 tiæ vertebrae perita ingerere non desistit
 donec concesslo , vel minimo tramite lar-
 gifica inadvertenter via , plane in pristi-
 num , optatumque statum penetreret. Qua
 nostra præcautione hi patres intra scriptos
 suæ activitatis limites sese continentis ,
 ab omni sæcularitatis spiritu seclusi , sanctis
 execitiis , meditationibus , saluti deni-
 que animæ propriæ intra parietes suos
 studere , nec de salute proximi tam sponte-
 neas , & irrequietas pœnas , & curas
 facere jubeantur : cum imprimis non illi
 pro nobis , sed unusquisque nostrum pro
 semetipso quondam rationem reddituri si-
 mus : & illum pro proximo salvando ze-
 luin melius inter lucis orto Garamantas
 & Indos exerceri oporteat , ac expeditat ,
 quam inter sacro jam Evangelio illuminati-
 natos , & aliis a DEO , & sancta Matre
 Ecclesia mediis pridem , & abunde muni-
 tos christianos. Ubi experientia perinde

ac



ac. periculum præcavendum suadent, ne
ibi patres proximi fortunas magis, quam
animas querant; & ne dum hermaphro-
ditæ religiose secularitatis monstrositate
(religionem & secularismi conjungentes)
alienæ incumbunt, dej propria salute pe-
nititari videri possint.

Si igitur remonstrationes nostras clario-
ribus exegeritis illationibus inde deducen-
dis, vestræque propriæ rationi major, quam
præoccupationi apud vos locus, atque major
Patriæ, & vestrorum, quam nobis cura
est, hanc ita dictam societatem JESU,
vel principiis suis ante dictis, vel regio-
ni nostræ renunciare unitis nobiscum viri-
bus compelletis; nisi pro meinbris patriæ
male fana exrementia, pro fulcris rei-
publicæ supplantatores, pro simplicibus
juxta spiritus Sancti, nichil ipsa columbis
versatos, & variis sanctissimis coloribus
tinctos serpentes in sinu vestro alere ulte-
rius cupiatis. Vobis autem in saniora confi-
lia commendamus.

Franciscus Princeps
Rakoczy.



Digitized by Google

